



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Die 1. SS. Philippus, & Jacobus Apostoli

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

## M A I U S.

Festum SS. Philippi, & Jacobi  
Apostolorum Christo Jesu accep-  
tissimorum.

## EXHORTATIUNCULA I.

**O** Fili! si Philippus, & Jacobus non  
paruissent vocanti Deo, ubi es-  
sent? Nunquid inter Apostolos? Nun-  
quid inter Sanctos, qui quondam judi-  
cabunt duodecim tribus Israël? Mini-  
mè; sed lugerent jam inter æternaliter  
miseros, ac infeliciter damnatos. Tan-  
ti interest, correspondere vocationi Di-  
vinæ. Novimus & nos vocem Domi-  
ni: sed cur tam morosi, tardi, & langu-  
di in sequendo?

*Instructio meritoria.*

Pro nutantibus, & periclitantibus in  
via æternæ salutis curramus ad spiritum  
Sanctum, & oremus officium minus de  
Eo, aut Illius Litanias. Spiritus spirat,  
ubi vult. Vult Deus: non permittit  
homo: Quæ hæc impietas?

II. Non



## II.

**N**on sunt contenti hi duo Apostoli, quòd sibi vixerint boni. Ut & milleni forent alii, labores, sanguinem, vitam dederunt. Quis non adeò mirabilem ambiat, & honoret Charitatem? Charitas, si benigna non est, adultera est. Si autem benigna, non tam sibi, quàm aliis erit. Fili! Quid ad hæc amor proprius? Profectò agit nostri Dominum. Væ autem regno, cui puer præest!

*Instructio meritoria.*

Amor proprius cùm serpat subtiliter etiam in corda alioquin sanctissima, precibus impugnandus est, & operibus multæ in alios charitatis. Igitur duodecim actus amoris exerceamus purissimi, cum suspirio Magni Xaverii: *O Deus! ego amo te! nec amo te, ut salves me!* Stantes ad ignem adhuc frigebimus?

## III.

**S**emper virtus laudabilis est, etiam illis, qui hujus vivunt hostes infensissimi. Utrumque hunc Apostolum dicebant justum, & sanctum impii satellites,



tes, qui mortis causa fuerunt. Ah fili! Christo, & virtuti adhæreamus unice! Certè & ab ipsis amabimur adversariis. Nam in homine nequam nec laus, nec commendatio.

*Instructio meritoria.*

Pro obtinendo perfecto virtutis, & Christianæ perfectionis studio tres actus modestiæ angelicæ, tres taciturnitatis, & tres temperantiæ Christianæ sedulo exerceamus, addendô Canticum: *Benedictus Dominus Deus &c.* Quid dulcius virtutis studiô, & amore?

Festum S. Antonini Archiepiscopi Florentini ex Ordine S. Domini Florentissimo.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**lli! Capiamus pro anima sententiam, quam suis reliquit S. Antoninus dicens: *Qui minas mortalium timet, indignus est, ut cum martyribus coronetur in cælis.* Coronam hanc quoties perdidimus, qui plûs hominem quàm Deum timuimus? O nimis tur-

per